

tenetur, si brevi illa dilatione finis a stipendii datore intentus attingi amplius non potest.

4. Quamquam principalis obligatio qualibet Missa exstinguitur, tamen obligatio reliqua accidentaliter aliquando sat magni momenti esse potest:

a) Circumstantia altaris privilegiati, si omissa est aut culpa celebrantis (eo quod, quando per Rubricas licuit, Missam de Requiem non dixit) inefficax facta est, obligat ad quaerendam aequivalentem compensationem per indulgentiam plenariam alio titulo animae defuncti applicandam, quod e. g. fieri potest visitando stationes viae crucis.

201 b) Circumstantia qualitatis Missae ex se levem obligationem tantum afferre videtur, nisi forte eum, qui stipendium dedit, propter peculiarem causam graviter offensus iri praevideatur. Ceterum, nisi contrarium expresse petitur vel aliunde absolute a stipendii datore intendi cognoscitur, Missa de Sancto diei potest loco Missae de Requiem pro defuncto (nisi ratio privilegii altaris lucrandi obstat), et e contrario Missa de Requiem, si Missa applicanda est pro vivis. Ita quoad primum expresse S. Congreg. Rit. 12. Sept. 1840 Brugen. ad 7; quoad secundum De Herdt ed. 5. t. 1 p. I. n. 67 nititur decreto S. R. C. 29. Nov. 1856; verum hoc in Coll. Gardell. omissum est.

Multo severius S. Sedes semper urgebat, ut, si Missa peteretur „in honorem alicujus Sancti“, ex obligatione dicenda esset Missa votiva, neque satisfaceret per Missam diei currentis, modo supponi posset, intentionem petentis ad Missam votivam dirigi.

Sc. S. Sedes circa Missas *in honorem alicujus Sancti* (cf. De Herdt tom. I. p. I. n. 66 IV) constanter voluit, ut, si dies impeditus esset, Missa transferretur potius in alium diem, quam ut Missa de die currente celebraretur cum intentione alterum Sanctum honorandi: atque etiam circa Missas manuales noluit, obligationi Missae votivae satisfieri in festo ritus semiduplicis celebrando Missam de festo occurrente. — At recentius 15. Apr. 1876 litterae privatae S. R. C. mentem aperientes et communicatae in folio periodico pro unione sacerdotum Oenipontana, si, qui dedit stipendium, solum in genere petierit Missam sive in honorem alicujus Sancti sive pro defunctis, non intendens ipsam votivam Missam aut Missam de Requiem, in *utroque* casu satisfieri per Missam diei currentis, etiam in ritu sd., dicunt.

Quare videtur ratio habenda esse diversarum regionum, in qua Missa in honorem certi Sancti petitur. Si fideles norint communiter, quid sit Missa votiva, atque eam communiter intendant, si in honorem certi Sancti Missam postulant: aut Missa votiva dicenda est, aut qui dat stipendium, monendus est de impedimento, si quod forte existit; si vero fideles Missarum discrimen non norunt, sed sacerdotis arbitrio sese committunt, diei potest Missa diei eaque in honorem Sancti solummodo *applicari*.

202 Ad III. Occurrunt hic plura decreta S. Pontificum.

A. 1. Theses ab Alex. VII. damn. 10: „Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, juramento promissione etiam firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.“

2. Damnata est thesis 8: „Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.“

3. Constitutio Innoc. XII. „Nuper“ inter alia etiam decretum S. C. C. confirmat, quo „sub obtestatione divini iudicii mandat, ut absolute tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, quantumcunque exigua stipendia . . . collata fuerint“¹.

4. Facultas reducendi numerum Missarum a Trid. Conc. Episcopis collata fuit transitoria, atque omnino expiravit, ita ut *speciali* facultate a S. Sede impetranda indigeant, qua, existente necessitate, id valide efficere possint. V. Const. Innoc. XII. supra cit. et Ben. XIV. *de synod. dioec.* l. 13 c. ult. n. 19: „Episcopo nullam hodie relictam esse facultatem reducendi Missas, excepta tantum ea facti specie, qua testator ipse hanc facultatem tribuisse dignoscatur“; imo proposita quaestione: „An Episcopus possit *onera Missarum nondum acceptata* reducere absque beneplacito Sedis Apostolicae sive hujus S. Congr., quoties (ob tenuitatem legati) reductionem necessariam esse judicaverit ex eo, quod locus pius legatum acceptare recuset, non diminuto onere“: responsum est 20. Junii 1682: „Negative“; vide *de synod. dioec.* l. 5 c. 10 n. 2. Nihilominus Scavini t. III. n. 307 in ea opinione est, Episcopum propria auctoritate posse Missarum numerum reducere, si legatum acceptatum nondum sit, et *ita tenue*, ut ne consuetum quidem stipendium manuale pro singulis Missis assignatum sit: in quo casu Episcopum putat posse ad consueti stipendii manualis normam Missas reducere.

B. 1. In iisdem decr. Urb. VIII. et Innoc. XII. (in Bulla Innocentii²⁰³ § V.): Omne damnabile lucrum ab Ecclesia remove volens prohibet sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat. — Cf. etiam thes. ab Alex. VII. damn. 9.

¹ Ratione stipendiorum manualium, et ratione omnium Missarum, quarum *numerus* assignatus est, haec omnino valent. At si quis ratione foundationis vel beneficii ecclesiastici onus habet annexum „quotidie celebrandi (et applicandi) Missam“: res non cum tanto rigore sumitur. Ex ipsa sc. fundatione videndum est, utrum quotidiana Missa *ut onus reale*, non ut personale, an personale tantum impositum sit. Illud si factum est, aut si expresse vel aequivalenter substitutio alterius sacerdotis postulatur pro beneficiato (vel legatario), qui forte satisfacere nequeat: onus Missarum omnino exacte implendum est. Si vero haec non adsunt, et celebrandi onus, quod obligationem pro fundatore applicandi communiter et ex sese secum trahit, sine alia clausula potius ut personale tantum onus impositum est, communi sententia (v. S. Alph. l. c. n. 332) haec admittuntur:

a) Sacerdotem non peccare, si reverentiae causa semel in hebdomada Sacrum intermittat, aut si alias *aliquando* ex legitima causa omittat.

b) Neque substitui debere alterum, si accidat infirmitas non diuturna. Non diuturna censetur ex S. Congr. C. in „Romana“ 25. Sept. 1695 „quae non excedit *quindecim dies*“. — Alii, teste S. Alph. n. 333, id ad *mensem* extendunt et ultra: quod S. Alph. admisit. — Si vero diuturnior sit infirmitas, substitutio procuranda est, etiam collato stipendio.

c) Diebus vero, quibus secundum modo dicta (sub lit. a) sacerdos licite vacare potest a Missa, nullatenus licet *pro stipendio accepto* Missam celebrare; nam sola ratio, cur applicationem Missae possit omittere, est, quod ipse a Missa dicenda vacat. V. S. Alph. l. c. et expressam declarationem S. Congr. C. 18. Sept. 1683. (Acta S. Sed. vol. 7 pag. 179.)

d) Posse vero raro in anno (4—6) diebus, quibus alias licite vacet, sacerdotem pro se vel amicis gratis celebrare, S. Alph. l. c. admittit; at S. Congr. C. modo cit. etiam ad id respondit „Negative“.

2. Imo Ben. XIV. in Const. „*Quanta cura*“ 30. Junii 1741 declarat: „A quolibet sacerdote stipendio majoris pretii pro celebratione Missae accepto, non posse alteri stipendium minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti celebranti et consentienti se majoris pretii eleemosynam accepisse indicasset.“

3. Neque hujus stipendii diminutio ex eo licita evadit, quod pars illa detracta in aliam causam piam impendatur, nisi forte, qui dedit stipendium, in id consentiat. Ita 9. Sept. 1874 (vide infra ex Actis S. Sedis vol. 8 p. 108).

4. Id ne ad hunc quidem finem licet, ut sacerdotes extranei ad ecclesiam, in qua eleemosynae pro Missis collectae sunt, confluentes aliquid solvant pro necessariis expensis, nisi ecclesia utpote pauper nihil habeat, quo illas expensas sustineat. Vide Innoc. XII. § 22: „Permittendum non esse, ut ecclesiae ac loca pia, seu illorum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum, ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt pro Missarum celebratione, nisi quum ecclesia et loca pia alios non habent redditus, quos in usum earundem expensarum licite erogare possint, et tunc portionem, quam retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum Missae sacrificio necessario sunt subeundae, et nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot Missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.“

204 C. Ergo concluditur e contrario, licite partem accepti stipendii detrahi, modo ne minuat numerus Missarum:

1. Si cum consensu donatorum aliquid detrahitur pro altera causa pia (modo pro circumstantiis res cum Episcopo tractetur).

2. Si alter sacerdos, cui Missa dicenda committitur, non rogatus libere omnino partem aliquam cedit, siquidem id pro puro dono tum habetur.

3. Si excessus super stipendium consuetum datus est ratione peculiari personae, amicitiae, necessitatis habita: quod si factum est, ille excessus jam non habet rationem stipendii, sed rationem doni seu eleemosynae superadditae.

4. Si agitur non de stipendiis manualibus et obligatione Missarum inde exorta, sed de oneribus Missarum, quae alio modo alicui fundationi, ut capellaniae etc. inhaerent, aut quae honoraria pars sunt annuorum reddituum parochi, loci pii etc.; aut si agitur de Missa, cujus celebratio ad jura parochialia pertinet et quaecum certa „jura stolae“ connexa sunt. Cf. Scavini (ed. 10) tom. I. n. 692, ubi dicit: „si enim potest, parochus (die Dominica occurrente funere) Missam pro populo applicet, et alii sacerdoti Missam pro defuncto decantandam committat, cui quidem tribuat eleemosynam, quae solet pro manualibus, et aliquid amplius pro incommodo. Non enim stricto jure totum quod accepit, tenetur dare parochus“; et tom. III. n. 179: „Testator reliquit certae ecclesiae 500 scutata, ut ex redditibus Missae celebrarentur, taxato stipendio cujuslibet Missae 3 juliorum. Quaeritur, utrum illa ecclesia celebranti dare possit consuetum stipendium unius

Julii, et reliquum sibi retinere. S. Congr. Conc. 3. Aug. 1658 respondit: „Affirmative, et reliquum cedere ad commodum ecclesiae.“ Quibus concordat recens resp. S. C. C. 11. Maji 1888 in *Trevir.*: cf. Archiv für k. K.-R. vol. 62 pag. 172 sqq.

NB. Attamen si testator certam summam sive semel sive quotannis distribuendam reliquit in stipendia Missarum, adeoque fundatio existit solum ad celebrandum quotannis certum numerum Missarum, taxato quidem stipendio, sed non assignato sacerdote vel ecclesiâ, cui favere testator voluerit: nulla stipendii pars retineri potest, ut videre licet in Actis S. Sedis vol. 4 pag. 39—41: „Manualia autem censi ea Missarum stipendia, quae ipsimet legatarii teneantur tradere ad Missas celebrandas.“ Sic etiam responsum est Archiepiscopo Coloniensi 25. Julii 1873.

5. Si quis in procurandis seu colligendis Missarum stipendiis pro aliis quasi ex munere destinatus est, adeoque non accepit stipendia, ut a se Missae celebrarentur, potest moderatam mercedem sui laboris exigere, „si ad hoc munus destinatus sit, et labor vere mercedem mereatur“: S. Alph. n. 322 dub. 3.

Quum omnis negotiatio clericis, saltem majorum ordinum, interdicta²⁰⁵ est, tum maxime quaelibet mercatura circa Missarum stipendia cuilibet prohibita est. Hac de re Ben. XIV. in Constit. „*Apostolicae*“ et in altera Const. „*Quanta cura*“ loquitur; Pius IX. in Constitutione „*Apostolicae Sedis*“ excommunicationem Romano Pontifici reservatam (§ 12) tulit in „colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis et ex iis lucrum captantes faciendo eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent“.

At non solum ejusmodi turpe lucrum, sed alia etiam, quae alicujus turpis quaestus periculum inducere possint, S. Sedes interdixit.

Operae pretium est, hic notare S. Congr. resolutiones 13. Aug. 1874 a Pio IX. confirmatas et Episcopis transmissas:

„Sanctitas sua resolutiones S. C. C. Apostolica sua auctoritate approbavit et confirmavit, easque ad Episcopos transmitti jussit, ut ipsi eas . . . exsequendas perpetuoque et inviolabiliter servandas curarent: contrariis non obstantibus quibuscunque.“

I. „An turpe mercimonium sapiat . . . eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui adhibitis publicis invitamentis et praemiis, vel alio quocumque modo Missarum stipendia colligunt et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros et alias merces rependunt?“

Ad I. „Affirmative.“

II. „An haec agendi ratio coonestari valeat ideo, vel quia nulla facta immuntione, tot Missae a collectoribus celebrandae committuntur, quot collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus eleemosyna Missarum carentibus subvenitur.“

R. „Negative.“

III. „An hujusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes tunc etiam improbandae sint . . . quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione percipitur . . . in piarum institutionum et bonorum operum usum et incrementum impenditur?“

R. „Affirmative.“

IV. „An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi atque etiam coercendi sint ii, qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas Missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant quidquam ab iisdem praemii nomine?“

R. „Affirmative.“

V. „An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et coërcendi, ut supra, sint ii, qui a dictis bibliopolis et mercatoribus recipiunt pro Missis celebrandis libros, aliasve merces, harum pretio sive imminuto, sive integro?“

R. „Affirmative.“

Nihilominus VI. „An illicite agant ii, qui pro Missis celebratis recipiunt stipendii loco libros vel alias merces¹, *seclusa quavis negotiationis vel turpis lucri specie*.“

R. „Negative.“

VII. An liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia ex eleemosynis Missarum, quas fideles celebrioribus sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur, quando praesertim ea propriis redditibus careant?“

R. „Negative, nisi de consensu oblatorum.“

VIII. „An et quid agendum ab Episcopis, ne in iisdem sanctuariis plures Missarum eleemosynae congerantur, quam quae ibi intra praescriptum, seu breve tempus absolvi queant?“

et IX. „An et quid agendum ab Episcopis, ut Missae, sive quae singulis sacerdotibus, sive quae ecclesiis et locis piis a fidelibus celebrandae committuntur, accurate et fideliter persolvantur?“

R. ad VIII. et IX. „Standum constitutionibus Apostolicis et decretis alias datis.“

Cf. Acta S. Sedis vol. 8 pag. 107—109.

Dein novis excitatis dubiis eadem S. C. C. 24. April. 1875 haec respondit (omissis iis, quae specialia continent indulta et sanationes):

VI. „An et quomodo sustineatur decretum Episcopi C . . . (qui circa leges severius a se statutas interrogaverat): 1. „An illicite agant ii, quum non sint bibliopola nec mercatores, vel aliter Missarum celebrandarum quaesitores, verum ecclesiastici viri, quibus sponte a fidelibus Missarum celebrandarum eleemosynae traduntur, quique ad bonos libros vel diaria religiosa evulganda eas celebrandas offerunt sacerdotibus, ut inde hi accipiant stipendii loco libros vel ephemerides?“

2. „An illicite agant huiusmodi sacerdotes, qui vel iis oblatas a supradictis ecclesiasticis Missas acceptant, vel ipsi eas petunt celebrandas, ut inde queant pro Missis jam celebratis (intellige: *post Missas celebratas*) earum stipendii loco libros vel diaria acceptare vel petere, quum ipsi aliunde sciant aut sibi persuadeant aliter se non obtenturos easdem Missas pro effectiva eleemosyna celebrandas.“

R. „Reformato dubio „An et quomodo *respondendum* sit Episcopo C. in casu“, Negative in omnibus ad utrumque.“

VII. „An et quomodo improbandi sint moderatores vel administratores diarium religiosorum, qui sacerdotibus Missas celebrandas committunt, retento ex earum eleemosynis pretio diariis ipsis respondente in casu.“

¹ Quod igitur prohibetur, est 1) illa studiosa multarum eleemosynarum collectio, quae fit negotiandi causa, sive Missarum stipendia objectum negotiationis sunt, sive negotiationis instrumentum. Quando ergo negotiatio proprie dicta plane abest, loco pecuniae alias merces pro stipendio Missae dare illicitum nullo modo est.

Prohibitum 2) est, ne copiosa stipendiorum collectione et transmissione voluntas donatorum vel fundatorum circa tempus, locum, circumstantias Missarum celebrandarum fallatur. Quare si ejusmodi collectio causa est — ut plerumque est — cur diutius differantur Missae vel non celebrentur in loco, ubi eas celebratum iri donatores per se exspectant, eorum consensus accedere debet: quodsi ex fundatione Missae dicendae sunt, constare debet, mentem seu assensum fundatorum non repugnare transmissioni et dilationi Missarum.

Ceterum etiam S. Poenitentaria 6. Oct. 1862 jam responderat moderatori cujusdam religiosi diarii quaerenti „utrum tuta conscientia suum diarium dare possit sacerdotibus ea conditione, ut celebrent numerum Missarum respondentem pretio, quod ab aliis pro diario solvitur?“

R.: „Praefato dubio mature perpenso, respondit: Affirmative, dummodo Missae celebrentur.“

R. „Negative, dummodo nihil detrahatur fundatorum vel oblatores voluntati circa stipendii quantitatem, locum ac tempus celebrationis Missarum, exclusa quacunq[ue] studiosa collectione Missarum et docto cui de jure de secuta Missarum celebratione, *facto verbo cum Sanctissimo*.“

§ 4.

Obligatio celebrandi ex obedientia imposita.

Obligationem S. Missae sacrificium celebrandi atque pro certo fine²⁰⁶ illud applicandi, de qua hucusque actum est, non vidimus, nisi aut in jure divino fundatam, aut ex libera promissione vel contractu libere inito exortam. Ecclesia quidem, ut vidimus, pastoribus legem celebrandi et applicandi imposuit, sed ipsam rem juris divini esse cognovimus, modum et mensuram ab Ecclesia definitam.

At potestne Superior etiam in aliis rerum conditionibus idem lege vel praecepto imponere?

Celebrationem Missae praescribi *posse* ex justa causa, nemo est, qui dubitet; *applicationem* ad certum finem imperari posse, aliqui negarunt ex eo, quod haec res sit mere interna, actus vero mere internus ab auctoritate humana, etiam ecclesiastica, praecipere non possit. Verum quid sit de illa generali doctrina sentiendum, quae potestatem jubendi actus internos universim negat, vol. I. n. 128—132 visum est. Insuper prorsus negari debet, hinc agi de actu mere interno, sed agitur de actu interno, qui complementum est alterius actionis mixtae, puta Missae celebrationis, quae *applicatione* tandem completur. V. Suarez *de leg.* l. 3 cap. 29 n. 10.

Quamquam in *usu* hujus potestatis ratio habenda est justitiae, ne sacerdoti, qui aliter stipendium recipere posset, damnum gravius oriatur. Quo fit, ut raro ab Episcopis utendum videatur tali praecepto, quum ipse S. Pontifex, etsi possit, re ipsa non consueverit talem applicationem injungere; cujus rei exemplum habemus in lege, quae occasione Concilii Vaticani lata erat celebrandi quidem in ecclesiis cathedralibus et collegiatis quaque Fer. V. Missam de Spiritu Sancto, libera tamen manente Missae applicatione.

At si a Superiore ecclesiastico generatim sumpto oculos convertimus ad Superiores regularium, et quaerimus, *quo titulo* illi suis subditis Missas celebrandas et ad certam intentionem *applicandas* injungere possint, haec statuenda sunt: nam eos id *aliquo modo* posse, extra dubitationem est. Potest igitur Superior regularis injungere

1. titulo justitiae erga eos, qui stipendia dederunt: stipendia enim a religione seu a domo religiosa per Superiorem accepta religiosam domum ligant ex justitia, ut Missae dicendae curentur: quae obligatio ex determinatione Superioris ad singula communitatis membra transit, quum id oneris seu potius illius oneris possibilitatem in professione assumpserint;

2. titulo voti specialis, quo id aliquis voverit, aut si quis votum obedientiae ita fecerit, ut etiam actus internos comprehenderet, obli-

gationem illam oriri posse omnes admittere debent et admittunt, etiam ii, qui contendunt Missae applicationem esse actum mere internum. Ex sese autem votum cujuscunque religiosae obedientiae ad actus internos extendi, a pluribus quidem, qui id de obedientia jurisdictionis potestati debita negant, conceditur, ab aliquibus similiter negatur. Igitur

3. utrum sine tali speciali voto vel speciali sensu obedientiae solo titulo communis obedientiae religiosae, et

4. titulo jurisdictionis Superiores id jubere possint, necne, pendet ab iis, quae supra dixi, sc. ab eo a) utrum Missae applicatio sit res mere interna annon; b) utrum potestas ecclesiasticae jurisdictionis aut potestas dominativa religiosa sese ad actus mere internos extendat an ad externos tantum.

Utramque vero quaestionem in favorem potestatis religiosi Superioris solvendam esse existimo, priorem sc. negando, alteram potius affirmando. Imo etiam ex iis — ut dixi — qui jurisdictioni ecclesiasticae facultatem *interna jubendi* denegant, sunt tamen, qui potestati religiosae dominativae id concedant. Cf. Laym. et Suarez *de leg.* l. c., et quae diximus vol. I. n. 131.

De facto autem id fieri, etiam non solo titulo justitiae ex acceptis stipendiis, patet ex diversorum ordinum constitutionibus, in quibus quandoque Missae ad certas intentiones imponuntur. Et quamquam Constitutiones illae non semper sub peccato, sed solum ut *regula* obligant: tamen nihil sub obligatione regulae praescribitur, quod stricte sub peccato praescribi non possit.

Appendix.

208 Praecipue igitur grave peccatum committit:

1. Sacerdos, qui negligit aliquoties saltem in anno Missam celebrare.
2. Qui, pastorali munere suscepto, diebus Dominicis et festis pro populo Missam non applicat; aut qui saepius sine causa necessaria vel alteri id committit vel extra parochialem ecclesiam id facit.
3. Qui onus dicendae Missae vel applicandae ex fundatione sibi impositum non implet.
4. Qui, accepto stipendio Missae, ad dantis intentionem non celebrat, aut id diu differt.
5. Qui pro una Missa celebranda plura sumit stipendia.
6. Qui Missam alteri committit, retenta stipendii parte, (saltem si res gravis evasit in materia justitiae: alioqui jam antea, si agit mente simoniaca).
7. Qui stipendium ultra taxam *exigit*, idque generatim loquendo, etsi excessus non est gravis in materia justitiae.
8. Qui Missarum stipendiis mercimonium instituit.

Caput III.

De praeceptis liturgicis in celebranda Missa servandis.

In omnibus quidem sacris actionibus sacerdotalibus Ecclesia ad²⁰⁹ servandam et augendam devotionem et reverentiam summa cura adlaboravit, ut sacrae actiones certo quodam ritu et precum splendore circumdarentur: maxime vero id in sacrosancto Missae sacrificio Apostolicae traditionis sequens vestigia providit.

Si quae vero humanâ incuriâ vel fragilitate irrepserant, quae decori et reverentiae minus congruere viderentur, id pastorum vigilantiam iterum atque iterum excitabat, ut emendatione adhibita pristinus decor restitueretur. Quod suo tempore Concil. Trid. sess. 22 „*de observandis et evitandis in celebratione Missae*“ fecit, atque posteriore tempore speciali curae et vigilantiae S. C. Rit. commissum est.

Praecipua autem praecepta, quae tum in Rubricis tum in aliis SS. Pontificum et S. R. Congregationis decretis continentur, referuntur 1) ad externas circumstantias temporis et loci, 2) ad sacra utensilia pro Missae celebratione necessaria, 3) ad ipsos ritus sacros et preces in celebratione observandos.

Articulus I.

De tempore et loco celebrationis.

Circa tempus et locum celebrationis summatim haec statuuntur:

I. Licet quotidie semel sacerdoti celebrare, et communiter semel tantum. Excipitur festum Nativitatis Domini, quo in occidentali Ecclesia sacerdotibus singulis tres Missas dicere licet; et ex altera parte triduum sacrum majoris hebdomadae, in qua Fer. V. in Coena Domini et Sabbato Sancto solam Missam conventualem celebrari licet, Fer. VI. in Parasceve sola Missa praesantificatorum permittitur, privatis Missis exclusis.

II. Ex necessitate datur aliquando facultas aliis diebus bis Missam celebrandi: aut in Coena Domini ex speciali ratione permittitur, ut a pluribus Missa dicatur.

III. Tempus celebrandae Missae est, nisi privilegium aliud quid permittit, ab aurora usque ad meridiem: excepta prima Missa in nocte Nativitatis Domini.

IV. Tempus vero, quod in celebranda Missa privata impendendum est, ut cum decore et devotione fieri possit, spatio dimidiae horae circiter concluditur.

V. Pro loco celebrationis communis juris praescripto habenda est ecclesia, vel publicum oratorium, benedicta vel consecrata non polluta neque exsecrata aut interdicta.

VI. Episcopis ipsis atque variis religiosorum familiis latius extenditur facultas celebrandi: ut vero in domibus privatis privatisque ora-